



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt IX. a Isidorus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

xam epistolam ad interpretandum accipere fortasse contigerit, rogo non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu transferre: quia plerumque dum proprietates verborum attenditur, sensus veritatis amittitur.

NOTÆ.

^a **G**regorius.] Ita etiam legitur in prima collectione,

Etione, sub hoc tit. cap. 7. & reperitur textus hic in registro epistolarum D. Gregorii, lib. 1. epist. 28. ex quo illum transcribo.

CAPVT IX.

^a Isidorus.

Quamvis omnes, qui præfunt, præpositi ritè vocentur; usus tamen obtinuit, eos vocari præpositos, qui quandam prioratus curam super alios gerunt.

NOTÆ.

^a **I**sidorus.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 8. & reperitur textus

hic lib. 10. etymolog. D. Isidori, & hanc etymologiam Præpositi, atque ejus officium, & dignitatem illustravi in cap. 1. de arate, & qualis.

CAPVT X.

^a Isidorus.

Forus exercendarum litium locus, à b fando dictus. Qui locus & Proroftra vocatur fideo, quod ex bello Punico captis navibus Carthaginensium rostra ablata sunt, & in foro Romano præfixa, ut esset hujus inigne victoria. Constat autem forus causâ, lege, & judice. Causa vocatur à casu, quo evenit. Est enim materia, & origo negotii, necdum discussionis examine patefacta, quæ dum proponitur, causa est; dum discutitur, judicium: dum finitur, justitia. Vocatur autem judicium, quasi jurisdictio; & justitia, quasi juris status. e Judicium autem prius inquisitio vocabatur. Unde & actores judiciorum, præpositos, quæstores, vel quæstiores vocamus. Negotium multa significat, modò actum rei alicujus, cui contrarium est otium; modò actionem causæ, quod est d jurgium litis, & dictum est negotium, quasi nec otium, idest sine otio. Negotium autem in causis, negotiatio in commerciis dicitur, ubi aliquid datur, ut majora lucrentur. Iurgium dictum, quasi juris garrum, eo quod ii, qui causam dicunt, jure disceptent. e Lis à contentione limitis prius nomen sumpsit. De quo Virgilius: Limes erat positus, litem ut discerneret agri. Causa aut argumento, aut probatione constat. Argumentum nunquam testibus, nunquam tabulis dat probationem, sed solâ investigatione invenit veritatem: unde & dictum argumentum, idest argutum inventum. Probatio autem testibus, & fide tabularum constat. In f omni autem judicio sex personæ quaruntur. Iudex, accusator, reus, & tres testes. Iudex dictus, quasi jus dicens populo, sive quòd jure disceptet. Iure autem disceptare est justè judicare. Non est autem iudex si non est in eo justitia. Accusator vocatur, quasi ad causator, quia ad causam vocat eum, quem appellat. Reus à re, quæ petitur, nuncupatur; quia quamvis sceleris conscius non sit, reus tamen dicitur quamdiu in judicio pro re aliqua petitur. Testes antiquitus superstites dicebantur, eo quod super statum causæ proferebantur. Nunc parte ablata nominis, testes vocantur. Testis g autem consideratur conditione, naturâ, & vitâ. Conditione si liber, non servus: nam sæpe servus metu dominantis testimonium supprimit veritatis. Naturâ, si vir, non femina. Nam varium & mutabile semper femina. Vitâ, si innocens, & integer actu. Nam si vita bona defuerit, fide carebit; non enim potest justitia cum scelerato habere societatem. Duo sunt autem genera testium; aut dicendo id, quod viderunt; aut proferendo id, quod audierunt. Duobus autem modis testes delinquunt, cum aut falsa promunt: aut vera silentio obtegunt.

NOTÆ.

^a **I**sidorus.] Ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 10. & extat textus hic lib. 8. etymolog. D. Isidori, cap. 15. ex quo Codice correcto à Garcia à Loayla transcribo textum hunc.

^b **A**fando.] Hæc etymologia displicuit Polleto lib. 1. hist. fori. cap. 1. & Alciato lib. 2. disp. cap. 24. qui sequuntur etymologiam, quam tradit Marcus Varro lib. 4. de lingua Latina, his verbis: Quo conferrent suas controverfias, & qua vendere vellent, & quò quæq; ferrent, forum appellarunt, unde à ferendo veteres